



DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,  
VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS  
mande disputienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ - nonâ  
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LVII.

M. LUDOVICO - MARIA POUSSE, Equite,  
& Censore Regio, Doctore Medico, Prâside.

*An sanis noceat quotidianus impudicus simplicium usus?*

I.



*Medicus vitam ac sanitatem hominis arte suâ tueri & conser-  
vare vult ac debet, necesse est ut genuinas vite ac sanitatis cau-  
cas, & quomodo haec remediis sustineri debeant, & remediorum  
quibus succurrere potest vires, perspectas habeat, refert Hffman-  
nus. Pleniorum interius causarum sanitatis cognitionem ad  
etiologiam morborum evolvendam necessariâ conferte,  
in confessum venit. Quot heterogeneæ malorum in his, tot homogeneæ*

A

2

bonorum in illâ compages. Hominem in statu perfecto sanum consideres. In cerebro vigent sensus, emicat animi alacritas; uno verbo vegeta in obeundis munis libertas, legitime chyloeos signa, mutuus inter solida & fluida, animam & corpus consensum prædicat. Paucis vero diebus quo mutatio! Dolent viscera, languescunt vires, obtunduntur innumeris modis simul vel seorsum omnia corporis organa; demique à terum non naturalium abusu generale disturbatur commercium. Quis animo non sibi fingeret morborum ægritudinibus sanitatis dulcedinem redimi debere? Immodicâ quilibet ætatis etiam capacioris trahitur voluptate. Resistere necius securum hinc arcere malum, & virtus bonis compensare sic tentat: vir ut opipara devoret alimenta, potu generoso imò & aquis cardiacis se prolat impunè; fœmina sobria magis aliquando, ut gratam colore venerem tueatur, sapientia fugitivam revocet, absentemque mentiatur; ferè semper utriusque iisdem illecebris allecti, enematibus aquæ fluvialis tepida singulos in dies repetitis alvum irrigant:

*Stulti dum fugiunt vitia, in contraria currunt. Horat.*

auream hanc regulam altâ mente reponant. *In omnibus moderatio, mediocritas,*

### I I.

**I**N T E R relaxantia & diluentia non insimum tenent locum aquæ tepidæ clysmata, hæc partium internarum balnea, ut ex generalibus ad specificam morborum curationem ægros recte disponentibus medicamentis præstantissima, spectantur. Æstus viscerum, colicoisque dolores leniunt, flatus dissipant, consistentiam humorum spissant & augent, nimiamque diluunt minuuntque. In omnibus ferè morbis simplicia hæc anteponenda compositis *enoptroniz* judicant & frequenter adhibent dexterrimi clinici. Plurimi profunt, nocent paucissimis. Præclarè quidem in pathologicis casibus.

Sanis familiare est semel tantum vel bis in die alvum deponere, forces neque duriores neque fluidiores, sed inter densitatis extrema media excernuntur: oportet enim sanorum sedes esse figuratas. Quibusdam fibrarum labore citatior est excretio; aliis fibrarum debilitate, tardior; robustissimis quidem majori succorum perspiratione fæces exsiccantur, & non nisi ægre dejiciuntur. Homo fuit integræ valetudinis cui quintâ demùm septimanâ alvus evacuabatur. (a) Fateor quidem ob peculiarem diathesim multos posse præcaveri morbos, si moderatè & tempestivè usurpentur enemata simplicia. Ut enim relaxantia, generatim partibus suis flexilibus fibras moliores laxioresque efficiunt. Ad intestinorum laxitatem tendunt; glandulas horum canalesque excretorios relaxando, majorem liquoris intestinalis copiam provocant & inde constipationi medentur. Ut diluentia, molecularum aquarum ope humores à se dimovent & majorem his afferunt fluiditatem; solidæ humectant & relaxant; majorem aquosarum partium copiam sanguini largiendæ, minores reddunt oscillationes. Ad illos effectus Medico supercilie attendas; ex quotidiano usuabus jam elucescit.

### I I I.

**C**OR P U S elasticò motu gaudere dicimus quod ex filamentis duris & tensilibus conflatum, expansionis & constrictioñis, elongationis & abbreviationis patiens, in pristinum statum sese restituit. Fibris igitur solidas partes constringentibus hunc adscribere non dubitamus elaterem; quem autem ad secretiones & excretiones, vita & sanitatis præsidia, tuendas ad e

(a) Stalpart,  
van der Wick, obs.  
35. cont. L

necessarium docent celeberrimi Medici, ut si alteretur tantummodo, nimia debeat fieri vasorum dilatatio & fibrarum expansio. Ex quotidiano enematum usu quantum suæ contractilitatis dependent intestinorum fibræ! Nam à se invicem dimota in partium suarum interstitiis moleculas aquosas faciliè admittunt, & tunc expanduntur ultra horum capacitatem. Id si contingit, excrementa in cæcum delata ægrè ascendunt, ingrediunturque coli initium. A nerveo-musculosis & robustis, quibus hujus initium componitur, membranis relaxatis vix pressa urgentur. Vigente tamen musculorum abdominalium & diaphragmatis actione, explicatis adhuc tunicae nerveæ rugis, progreedi queunt. Cylindricam canalis more insolito ampliati formam recipient. In rectum si forte delapsa, sphincteres quidem premunt & relaxant; à musculis dilatabitur anus; sed certè nulla crit fecum exclusio nisi ter quaterè repetantur aquæ fluvialitis tepidæ clysteres, qui frustatim has sejungere, & per particulas extrudere valeant. Quod quotidie observamus ex horum excrematis quibus adeò familiaris simplicium enematum usus. Imò necesse est ut succi intestinales non modò tubum lubricent, sed etiam intimè misceantur cum scybalis, & humiditatem quæ transpiratione, calore, seu cum chylo per venas lacteas profundit, restituant. Relaxatis autem extra modum fibris, minor sanguinis quantitas ad glandulas defertur, tunc nedum major liquoris intestinalis copia provocetur, minor fit secreto: est enim secretio ut velocitas sanguinis in omni parte, ut demonstravit Bellinus. Imminutus motu peristaltico, & calore, oleum in omento ad bilis genesis multum interserviens, ineptum evadet; ac proinde bilis ut purgans & clyster naturalis spectata, ad ejectionem fecum intestina sufficienter stimulare non amplius poterit. Denique adeò levis est in organorum laxitate constituentium partium cohesio, ut naturales vitæ functiones absolviri impossibile.

## I V.

**A** fibrarum laxitate morbos chronicos, vel saltem maximam ad hos præclitatem, oriri constat. Tonus, robur & elater fibrarum in sufficienti liquidi per nervos influxu consistere videtur. Quæ propositiones millenis auctoritatibus, experientiæque quotidiana stabilitæ pro efficaci argumento debent haberi. Caveant ergo quibus nimis intenditur clysterum simplicium usus. Ut relaxantia & diluentia in partium internarum inflammationibus maximo cum successu præscribuntur. Resorptionem enim aquearum molecularum in vicinas partes possibilem demonstravit Boerhaavius, (a) cum venarum plurium generum injecta canalium ora subeant. Ideò fibras viscerum humectari & debilitari posse ultra modum confirmatur. Quod si opiparo viœ pleniū indulgere solemne fuerit; arteria lymphatica, glandula, & omnia secretionis organa ali uatenis obstruerint, officioque suo non ultra sufficient, ipsaque natura obruta fatisfecit (b). Destructo intestinorum tone, ructus, flatus, & molestia dyppelix erumpent symptomata. Cerebrum ob communicationem nervorum ventriculo intertextorum hæc mala sentiet. Fiat minor animi commotio? Inordinatus erit fluidi per nervos affluxus; hinc tyrannidem suam exercebunt spasmoi quos affectus in viris hypocondriacos, in feminis hystericos, & in utrilibet vapores appellat Sydenhamus. Hæc enim à spirituum àtræ inordinatioque motu, poulus quam ab humorum aliquo vitio produci afferit. Quo in casu nocere potius quam prodesse simplicia enemata addit perniciuos author. Mulierem viginti quatuor annorum nuper aquæ tepidæ fluvialitis clysmatibus assuetam quotidie manè, vaporibus obsessam vidi. Nullis cu-

(a) Legit. quoque in præled.  
Boerhaav. Acad.  
hinc reforbitio-  
men in venas me-  
diorientales crassi-  
rum intestino: unum  
experimentum de-  
monstrasse D.  
Mery.

(b) Cheva. in  
morb. feb. laxa,

justilibet generis animi pathematibus obnoxia, benè menstruata, viro non latigido, tam sincrè quād ardenter dilecto copulata erat. Quā igitur affectio-  
nis causa posset suspicari? Plurimi hanc inviserant practici; exercitium,  
equitationem, animi recreationem, & alia huic convenientia, suaserant.  
Quod verò fuisse à Medico præscriptum, ut id rejiceret mulier, sat habe-  
bat. A frequentiori simplicium enematum usu posse oriri aut saltē foveri  
morbum mihi venit in mentem; ideam hanc cum marito communicavi; illa  
nou meo consilio sed assiduis mariti precibus cum crederet obsequi, ab hac  
consuetudine, sensim tamen, discessit. Aliquando post exoluere symp-  
tomata; in pristinam rediit sanitatem, quā hodiē latissima fruitur. Si con-  
suetudinem hanc non ut causam efficientem, saltē in feminis quarum la-  
xior textura fibrarum infirmitatem indigit, auxiliariet, & virtutis elas-  
tice defectui multūm faventem agnosceret profectò Medicus. Quid etiam for-  
midare non debent, qui singulo mane largissimis aquæ tepidæ haustibus sese  
ingurgitant, cum, quod in unā parte corporis, in omnibus quoquomodo  
destruat æquilibrium, (a)

(a) Arbutin.  
Etat sur la nature  
& le choix des  
alimens, chap. VI.  
Prop. II.

## V.

**C**ORRUPATIO igitur optimi pessima. Ex quācumque diversâ licet  
diathesi majora vel minor aoriri debere incommoda jam ex ante-  
cessis patet; si enim calidâ adeò siccâque donetur ut tuendæ valetudinis cau-  
sa quotidiano enematum simplicium usu absolutè tenetur homo, sanum  
hunc immerit dixeris. Quidam tamen non modò rectè sese habent istis as-  
fueti, sed etiam nestorianos attingunt annos; quid indè? Nonne quidam  
singulos in dies rebus non naturalibus impunè abutuntur? Esto adhuc quod  
ab opio Tucae, à spiritu vini Poloni, &c. non alterentur; addas etiam  
quod nullum juxta necessitates beneficium recipient. Non idè conveniens  
nec tutum crebris ictibus alicuius rei confuetudinem facere, imò periculou-  
sum, præsertim in medicaminum usu, vel quia natura assuefacta ab ipsis  
non movetur, vel quia, si dimittatur, statim morbus ingruit. Confuetudini-  
nis igitur vis miranda quidem, sed vitanda. Celsum audias, homo sanus nullis  
se debet obligare legibus, varium vita genus habere. Nunquid ingrati foret ani-  
mi adventitiâm acquirere naturam? Ut enim ipsa tot omnium specierum alien-  
mentis orbem ditavit, ad desiderium horum nostros accommodavit appe-  
titus, & ad horum digestionem aptis nos intruxit organis; sic etiam compre-  
ssivo motu diaphragmatis ope muscularumque abdominalium, peristal-  
tico, quem lubricans in roris formam vicinarum partium, ipsarumque glan-  
dularum intestinalium humor nautum facilitat, foras pellit excrements.  
Nemùm ipsam sequi naturam, medium inter alibilia & prophylactica stude-  
bit servare, & in neutro extremonrum unquam sapiens peccabit.

*Ergo sanis nocte quotidianus reparator simplicium usus.*

Proponebat Parisiis FRANCISCUS-LUDOVICUS THOMAS  
D'ONGLÉE, Cenomanus, Doctor Medicus Remensis, Collegii Re-  
gii Medicorum Cenomani Socius, Saluberrima Facultatis Medicinae  
Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1757.

A S E X T A A D M E R I D I E M.